Swedberg, aft. Swedenborg (E.) [Epistola]

RESPONSUM

AD

Epiſtolam ab Amico ad me ſcriptam.

GAudeo ex amicitia, quam teſtificaris in Epiſtola tua; pro hac et imprimis pro illa refero Tibi ex animo gratias: laudes, quibus me cumulas, non recipio aliter, quam quod ſint amoris veritatum in ſcriptis meis; et quia inde ſunt, ideo tranſmitto illas ad Dominum noſtrum Salvatorem, a Quo eſt omne veritatis quia eſt Ipſa Veritas, Joh. xiv. 6. duntaxat ad illa, quæ ad finem ſcribis, animum adverti, quæ hæc ſunt: *Si forſan poſt diſceſſum tuum ex Anglia oriatur ſermo de Scriptis tuis, et tunc quoque occaſio defendendi te auctorem contra malevolum aliquem conviciatorem, qui ſtudebit lædere famam tuam excogitatis mendaciis, ut ſolent quidam inter oſores veritatis, annon uſui erit ad refellenda talia opprobria, ut relinquas penes me quædam particularia de te, de gradibus in Academia, de publicis Officiis quibus functus es, de Cognitis & Cognatis, de Honoribus tuis, quibus te ornatum audivi, ac de reliquis quæ ad bonam famam ſtabiliendam inſervire potuerint; ut ſic præjudicia male capta amoveantur: nam omnibus mediis licitis utendum eſt, ne aliquid detrimenti capiat veritas.* Poſt meditationem de his, tractus ſum ad obtemperandum amico tuo conſilio, quod eſt, ut aliqua de rebus vitæ meæ communicem, quæ in ſummario ſunt hæc.

Natus ſum Anno 1689 d: 29 Jan. Stockholmiæ, a Patre nominato JESPER SWEDBERG, qui fuit Epiſcopus Weſtrogothiæ, ſuo tempore celebris; qui etiam in Membrum Societatis propangandi fidem, ab illa Angliæ

Societate, electus et adſcriptus erat; nam a Rege Carolo XII etiam ut Epiſcopus præpoſitus eſt Eccleſiis Suecanis in Penſylvania, et quoque Eccleſiæ in Londino. Anno 1710 peregre profectus ſum, primum in Angliam, & inde in Hollandiam, Galliam et Germaniam, a quibus Anno 1714 domum redii. Anno 1716 et poſtea cum Carolo XII Rege Sueciæ ſæpe loquutus ſum, qui magnopere mihi favit, et eo Anno inſignivit me munere Aſſeſſoris in Collegio metallico, quo poſtea functus ſum uſque ad Annum 1747; quo Anno me illo abdicavi, retinendo uſque ſalarium iſtius muneris ad finem vitæ meæ; abdicavi me illo unice propter finem, ut novæ functioni a Domino mihi injunctæ eo melius vacarem; offerebatur tunc mihi ſuperior dignitatis gradus, ſed illum prorſus renuntiavi, ne faſtus inde invaderet animum. Anno 1719 a Regina Ulrica Eleonora nobilitatus ſum, et nominatus SWEDENBORG, et ab eo tempore in Conventibus, qui quovis tertio anno recurrunt, fui inter Nobiles in Equeſtri Ordine. Academiæ Regiæ ſcientiarum, quæ Stockholmiæ eſt, conſocius et membrum ſum, ad quod invitatus; receptionem in aliquam Societatem literatam alibi nuſquam petivi, quoniam in Societate angelica ſum, et in hac ſolum agitur de talibus, quæ Cœli et Animæ ſunt, at in Societatibus literatorum de talibus quæ Mundi & Corporis ſunt. Anno 1734 edidi REGNUM MINERALE Lipſiæ, in iii Voluminibus in Folio. Anno 1738 iter feci in Italiam, et Venetiis et Romæ per annum commoratus.

Quoad cognationes meas; fuerant mihi quatuor Sorores; harum unam in uxorem duxit ERICUS BENZELIUS, qui poſtea factus eſt Archi Epiſcopus Upſaliæ, et ſic ego agnatus cum duobus ſequentibus Archi Epiſcopis ibi, qui erant BENZELII, fratres minorennes prioris: alteram meam Sororem duxit LARS BENZELSTIERNA, qui fuit inſignitus honore Gubernatoris provinciæ; ſed hi mortui ſunt. Aſt duo Epiſcopi mei affines hodie inter vivos ſunt, unus qui vocatur FILENIUS, Epiſcopus Oſtrogothiæ, qui nunc in Conventu Stockholmiæ in Ordine Eccleſiaſtico munus Præſidis loco Archi-Epiſcopi ægrotantis obit, hic filiam ſororis meæ habuit uxorem: alter qui vocatur BENZELSTIERNA Epiſcopus Weſſmanniæ et Dalekarliæ, hic eſt filius ſecundæ ſororis meæ; ut taceam alios in dignitate conſtitutos. Præterea in Patria mea omnes Epiſcopi, qui numero 10 ſunt, et quoque Senatores, qui numero 16, et reliqui Magnates, me amant, et ex amore honorant, & cum illis familiariter, ſicut amicus cum amicis, convivo; hoc fit, quoniam ſciunt, quod in conſortio cum Angelis ſim. Ipſe Rex & Regina, et tres illorum filii Principes, multopere mihi favent; ſemel etiam a Rege et Regina invitatus ad menſam comedi cum illis, quod alioquin non conceditur ulli niſi quam magnatibus; et ſimiliter poſtea cum Principe hæreditario. Omnes avent reditum meum; quapropter in Patria mea nihil minus timeo quam perſe-

perſequutionem, de qua aliquid ſuſpicaris, et pro qua ideo faventiſſime conſulis in Epiſtola tua; ſi me perſequuntur alibi, hoc ad me non pertingit. Sed recenſita illa reſpicio ſicut parvi momenti reſpective, quoniam id, quod illa excedit, eſt, quod ab ipſo Domino vocatus ſim ad munus ſanctum, Qui ſe in Perſona clementiſſime manifeſtavit coram me ſervo ſuo Anno 1743, et tunc aperuit mihi viſum in Spiritualem mundum, & dedit loqui cum ſpiritibus & angelis, quod perſtitit uſque ad hunc diem; ab eo tempore incepi typis vulgare varia arcana mihi viſa & revelata, ut de Cœlo & Inferno, de Statu hominum poſt mortem, de vero Cultu Divino, de Senſu ſpirituali Verbi, præter digniſſima alia, quæ ad ſalutem & ad ſapientiam conducunt. Quod aliquoties e Patria mea ad exteras regiones profectus ſim, non fuit ex alia cauſa, quam ex deſiderio faciendi uſus, ac detegendi arcana mihi concredita. Præterea poſſideo opes, quantum ſat eſt, nec quæro neque deſidero plus. Ad hæc commemoranda adducor a tua Epiſtola, ut præjudicia male capta amoveantur; ut ſcribis. Vale, et Tibi felicia in hoc Mundo et in futuro ex corde adopto, nec dubito quin illis, ſi ſpectas & oras ad Dominum noſtrum, potiturus ſis.

EMAN: SWEDENBORG.

LONDINI:

M DCC LXIX.

BRITISH
18 AP 91
MUSEUM